DE

FEBRIS INTERMITTENTIS NATURA ET INDOLE.

COMMENTATIONIS A MEDICORUM ORDINE UNIVERSITATIS FRIDERICAE GUILELMAE AUREO PRAEMIO ORNATAE

PARS SECUNDA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVI. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS ROEHMANN

BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

L. LEVINSTEIN, med. et chir. Dr., med. pract.
MICH. RIESS, med. et chir. Cand.
L. GAEDKE, philol. et theol. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PROOEMIUM.

Quum more majorum receptum sit, ut, qui summos in medicina et chirurgia honores capessere velint, de aliqua re medica latine disserant, ego quoque huic mori obsecuturus rem, in quam paullo accuratiorem operam impendi, quam plane novam mihique incognitam tractare malui. Quum enim anno praeterlapso inclytus hac in alma academia medicorum ordo febrium intermittentium naturam ac statum universalem illustrari voluisset et quaestionem de hac re hisce verbis proposuisset:

„Quum frequens transitus observatus sit febrium in-
„termittentium epidemicarum in febres quaslibet con-
„tinuas et graves subinde pestilentiae subsecutae
„sint: quaeritur, quatenus ex auctorum sententia fe-
„bres intermittentes continuis affines habendae sint.
„Illustretur ideo febris intermittentis natura et indo-

„les, et duce pathologia historica exponatur, quas „partes in singulis epidemiis egerint, ratione potissimum habita typhi, dysenteriae, pestis orientalis, „febris flavae Americanorum“

equidem doctrinam illam summore amplexus sum, quod non singularem aliquam materiem, sed talem esse propositam intellexi, quae non modo a necessariis in medicina studiis non abducat, sed recta via ad ea adducat. Itaque de illo opusculo, quod ex praecepto gratiosi medicorum ordinis non sine fausto eventu confeceram, nonnulla elegi, quae ad magnam et gravem morborum familiam rectius existimandam lucis nonnihil allatura esse spero. Jam vero si pro exiguo harum paginarum spatio nisi singula ac sparsa de natura et indole febrium intermittentium proferre non potui: repetenda nobis est lectoris benevoli indulgentia eumque ad librum deleganda, quem eadem de re latius uberiusque conscriptum mox foras proditurum esse confido. Denique finire praefationem non possum, quin viro Ill. Hecker ob eximiam erga me liberalitatem et humanitatem, qua libros mihi indicare, quibus uterer, viamque demonstrare, qua eos acciperem, non dedignatus est, palam hoc loco gratias agam quam maximas.

Non ineptum videtur in talibus de natura rerum disquisitionibus statum illum significare, quem in tractanda re occupare velimus, id quod in hac de febrium intermittentium natura et indole commentatione non melius facere nos posse credidimus, quam Switenii effato illo in fronte posito: „Praestat in morborum causis indagandis progredi tantum, quousque per fidelia observata et cognitam humani corporis fabricam licet et in reliquis ignorantiam fateri, quam fictis hypothesibus quantumlibet etiam ingeniosis ludere.“ — In iis enim doctrinis, quae factis nituntur, hypothesin tum denique proferre licet, quum illa factis non repugnans, ratione probata novum ad ampliores explorationes spatium aperiat. Ex hac autem norma hypotheses et opiniones priorum temporum judicandae sunt, quamvis a posteritate refellantur et cum aliis specie quidem probabilioribus commutentur. Namque quaevis omnium temporum de rerum natura prolata hypothesis nihil aliud est, nisi summa de iis abstracta sententia, quae ad-

huc cognita sunt; exceptis illis, quae quasi ex aëre correptae omni fundamento carent. Quanto magis igitur prioribus sententiis, quarum praecipuas brevi in conspectu posituri sumus, indulgere debemus, quum nobis idem petendum sit (1). Omnes fere de natura Intermittentium sententiae in tres magnas classes dividi possunt, quarum prior in systemate digestivo Intermittentium causam ultimam quaerit (theoria gastrica), altera in nervis (theoria nervosa) esse censet, tertia denique quae in torrente sanguinis essentiam morbi latere sibi persuadet (theoria vasculosa). Quarum sententiarum vetustate excellet illa, quae in primis viis materiam febrilem elaborari docuit, et quae primum a Galeno prolata est. Illi enim Galenici (2) essentiales febrium differentias a subjecto, quod vocant, caloris morbidi, unde ex sensu Hippocratis febres oriri putabant, deducendas existimaverunt, universamque febrium multitudinem diviserunt in ephemeras, hecticas et humorales seu putridas, priores a spiritibus, alteras a solidis partibus praeter naturam incalescentibus, postremas ab humoribus putrescentibus derivantes. Cumque in humoralibus febribus varia caloris subjecta nempe totidem quot humo-

---

(1) Burser. Instit. med. pract.

Trnka de Krzowitz, de hist. febr. interm. Vindob. 1755.

(2) Galeni de differ. febr.

res, agnoscere cogerentur, alias atque alias pro subjectorum putrescentium diversitate earum divisiones instituerunt. Hinc a sanguine putrescente synocham sivi synochum; a bile Tertianam intermittentem continuam et causum; a pituita salsa et acida et vitrea epialam, ab insipida quotidianam tam continuam quam intermittentem; a melancholia quartanam et tetartophyam; a bile et pituita simul mixtis Hemitritaeum sive semitertianam oriri credebant (1). Causam periodorum posuit Galenus in dispositionibus membrorum, quae mittunt vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates. Febres continuas fieri cum humores intra vasa quieti putrescunt, intermittentes vero, quum per corpus moventur. Quam doctrinam posteriorum saeculorum non spernendi observatores summatim universimque pie acceperunt. Saeculo tandem septimo decimo haec theoria aliquantum immutata est, cujus sectatores rursus in duas partes abierunt, quarum altera extra sanguinis torrentem in viscere aliquo fermentum febrile nasci, colligi, maturari (Sylvius, Ettmueller, Jones(2) etc.); pars altera fermentum febrile nuspiam coactum, sed sanguini aequabiliter permistum ibi pedetentim increscere, tum subigi, et crisibus foras expelli credebant, donec novum

---

(1) Cap. ult.

(2) Prax. med.; Tract. de febr. interm.

ex seminio adhuc relicto nasceretur (Willisius (1). Posteriores, qui hanc gastricam theoriam defenderunt, et ipsi primariam causam esse arbitrati sunt materiam aliquam morbificam in primis viis, quae aut sanguini admista, aut nervos primarum viarum incitando, febrem producat (Selle (2). Itaque jam hic progressum quendam continuum animadvertimus illarum sententiarum, in quibus quamvis infantiam adhuc physiologiae testantibus, tamen aurora quaedam perlucet, quae ab experientia suboritur.

Theoria nervosa a Fr. Home (3) et Mundio fundatur, qui primi in solidis proximae causae sedem quaesierunt et quidem in fibrarum laxitate atque inde imminuta transpiratione; ad quam opinionem Borellus, Morton, Cole prope accedebant. Boerhavius (4) et ipse febrium intermittentium in systemate nervoso proximam causam posuit, sed aliquid vitii in succo nerveo inesse credidit, quem Cerebrum et Cerebellum ad Cordis fibras transmittat, turbarique solitum aaquabilemque spiritum animalium in musculos influxum, ita ut sanguis nec debita copia nec vi propellatur ad externa usque corporis vasa

(1) De febr. et urin. C. III.

(2) Rudim. pyretol.

(3) Princip. med.

(4) Aphor. de cognosc. et cur. morb. aphor. §. 755.

immo ibi lentescat atque haereat. Denique causam proximam posse statui in viscositate liquidi arteriosi, forte et nervosi tam cerebri, quam cerebelli cordi destinati inertia. Switenius (cod. loco in Comment.) sententiam Boerhavii commentando tueri quidem pie operam dedit, re vera tamen loco illius a magistro prolatae novam ac meliorem dedit, ita ut ipse verus fundator theoriae neuropathologicae habendus sit.

Dicit enim: ab epidemico miasmate excitari febrem intermittentem simulque imprimi spiritibus nerveis vel horum origini communi talem characterem, per quem dato tempore paroxysmus renovetur; et porro: „non indiget semper collecto quodam fomite intermedio inter binos paroxysmos tempore, ut in actum deducatur, sed propria sua vi paroxysmos renovare potest.“ Ita in omnibus commemoratis sententiis significatum quidem erat, in systemate nervoso aliquid esse mutatum, sed quo modo id factum et quaenam pars, quinam nervi sint, hoc integrum adhuc relinquebatur. Fr. Hoffmannus (1) quidem nonnulla de hac re indicia dederat, quum causam harum febrium ut ipse vocat fundamentalem posuisset in spastica universi generis nervosi et fibrosi affectione, quae specia-

(1) De vera motuum febril. indole et sede dissert.

tim a medulla spinali incipiat, atque ab exterioribus ad interiora paullatim progrediatur. Quae sententia de affectione Centrorum (nervorum Cerebro-Spinalium) nostris temporibus pro nova posita est (Rayer, Georget al.) Multo plus lucis affudit cognitioni de natura Intermittentium illa sententia P. Frankii, qui, febrem non esse morbum sed morbi quasi umbram enuntiavit, et Intermittentium interiorem naturam nobis omnino non cognitam existimavit. Selle primus fuit, qui nervos primarum viarum affectos febrem intermittentem producere docuit. Quae sententia mox a varia parte probata et varie subornata est. Alii enim alio modo et aliam hujus systematis gangliosi provinciam turbatam esse contenderunt (Krukenberg, Schoenlein al.).

Postrema denique theoria ita dicta vasculosa principia capit a Sydenhamio (1), qui, ceterum quidem Willisii sententia probata, ita tantum ab illa recessit, ut fermentum febrile nusquam coactum sed intra sanguinis torrentem elaboratum febrem excitare crederet. Nec vero certius definivit ille, quo modo materia nocens in sanguinem inducatur et illic paretur. Quae sententia quamvis varie modificata tamen a multis posterioribus pyretologis

---

(1) Op. omn. Sect. I CV §. 2, 3.

accepta est (Senac, Huxham al.). Nulla autem re internae Intermittentium naturae cognitio magis incrementum cepit, quam ex quo duce Frankio medici (Reil, Elsner al.) intellexerunt, diversum in febribus intermittentibus et continuis typum non qualitativam sed quantitativam tantum inter utramque morborum genus differentiam sistere. Id quod Hufelandius expressis verbis pulchre pronuntiat: „febris intermittentis,“ inquit, „formam si respicias diversa est ab aliis, sed naturam et indolem habet cum caeteris; modo enim febrem simplicem, modo inflammatoriam, modo nervosam jurat, et hae ipsaemet characterem intermittentem sibi vindicare possunt, qua de re liquet, omnem differentiam in typo cerni.“ Hae et similes sententiae a viris moderatis prolatae in universum quidem aliquid rei lucis affundebant; sed quum nunc in febre ipsa discrimen sublatum esset in localibus affectionibus ex opinionibus variarum scholarum variis morbi natura quaesita est; ita Markus febrem intermittentem nihil aliud esse nisi inflammationem systematis et annexus lymphatici existimavit, Walch glandularum meseraicarum, Reich pulmonis, Audouard lienis, Broussais Mucosae gastrointestinalis etc.

Quae omnia si unum sub aspectum subjicias hodie duae potissimum diversae sententiae inter medicos prae

ceteris usu receptae videntur, altera quae Gallis magis probatur de topica affectione, unde natura Intermittentium pendeat; altera per Germaniam late diffusa, quae in febribus intermittentibus exoriendis protopathiam nervorum gangliosorum essentialem esse docet.

Nos quidem ab utraque parte saepe modum esse excessum, et verum in medio quaerendum existimamus, et controversiarum neque quicquam cupidi nostram de natura et indole febris intermittentis sententiam proferre conabimur, petimusque id unum, ut errantibus nobis indulgeatur.

Certissima nimirum via in indagandis rerum naturis illa esset in interiora natura adyta penetrantem explorare, quonam modo a primo actionis momento usque ad rei perfectionem natura eandem quasi efficiat. Sed quoniam hoc nobis non datum est, res ita accipere debemus, quo modo semel comparatae sunt. Itaque neque physicis ad hunc diem usque contigit fluida illa imponderabilia alio modo quam ex effectibus cognoscere; neque id necessarium videtur ea explorare, quae nullum omnino cum sensibus nostris commercium habent, modo ea cognoscamus, quae nobis sui adeundi facultatem praebent. Deinde quum in natura omnes res, quae existunt, continua quadam serie veluti facto circulo contineantur, neque usquam

termini nisi ratione nostra definiantur: nullam profecto rem ita definies, ut re vera ab omnibus aliis rebus distinguatur, si extremas utrasqae quas habet partes adspicis. In medio tamen semper satis spatii cognitioni relinquitur. Idem fere in definienda Intermittentium et notione et natura medicis obtigit.

Namque in intermittentibus reactio universalis, quae febrem constituit, non minus magisve constans, quam ulla topica affectio, qua varia mala localia producuntur; typus et periodus non minus vel magis necessariae, quam ratio earum versus Chinam aliaque febrifuga stabilis.

Quid tandem relinquitur Intermittentibus proprium ac perpetuum? Aut omnia, aut nihil.

Accepta igitur imagine illa, quae sub forma febris intermittentis regularis integerrima et maxime perspicua in lucem prodit, et definitione illa omnia fortuita et externa maxime excludenti, ex qua „Intermittens talis morbus est, qui alternis vicibus accedat recedatque," indagare conabimur, qua in re consistat illud omnibus Intermittentibus commune vinculum, quod naturam earum et indolem efficiat. Tum in irregularibus et anomalis formis investigabimus causas, propter quas a norma discedant, usque eo, ut omnino et sensim sine sensu in aliorum morborum naturam intrent et transmutentur.

Complexus symptomatum, qualis in Intermittentibus regularibus observatur, suadet, ut aliquid in systemate nervoso esse mutatum putemus: animi pathematum cum hoc morbo arcta conjunctio ad eum provocandum et repellendum; prima ingruentis paroxysmi phaenomena; typus et periodus; complicationes morbi cum turbis in systemate nervoso, ut sunt convulsiones, spasmi, amaurosis, al.; febres larvatae ita dictae in unica saepe laesione apparatus nervei consistunt, vel hanc sibi haud raro conjunctam habeat febres manifestae; ratio illa antagonistica et exclusiva inter Intermittentes et affectiones nervosas cujusvis generis, ita ut epilepsia e. c. Intermittente fugetur, vel post eam emergat; similis ratio ad hypochondriasin et hysteriam (1) denique nocentia et juvantia. Nunc vero id potissimum agitur, quinam nervi sint affecti et quomodo, utrum protopathice an deuteropathice, utrum necessarie an forte, utrum universi an partiales etc. Tot aenigmata, quot quaestiones!

Illud symptoma, cui Intermittentes et nomen et indolem debent, periodus est et circuitus. Est autem omnium nervorum, alternis vicibus agere et quiescere; ita animus et sensorium commune inter noctem quiescunt, item ac

(1) Senac L. I. C. 4. §. 7

provincia sensitiva et centralis et peripherica; vis illa motoria voluntati subjecta tam diu latet, usque dum a sensorio communi et libera voluntate incitata in actum deducatur. Nulla autem vis nervea magis regulari et continuae periodo subjecta est, quam illa quae vegetationi et motibus involuntariis praeest, quippe quae neque nocte neque voluntate intercidatur. Habet autem vis illa sedem suam in systemate ganglioso, quamvis a centris nervosis, praesertim a medulla spinali minime independentem. Quamqam enim regularis periodi causa ultima in nervis gangliosis quaerenda est, revulsa tamen a centris, nec semper per haec de novo aucta, exstinguitur (1). Itaque etiam a priori conjicere licet, in systemate ganglioso causam febrium intermittentium proximam vel ultimam esse quaerendam. Sed ex architectura anatomica non minus quam ex cognita adhuc apparatus nervosi mechania veri simillimum fit, non posse diu talem affectionem consistere, quin et aliae nervorum provinciae in sympathiam deducantur.

Videamus nunc num phaenomenorum complexus, regulari semper intermittente, ut exemplari, supposita, idem confirmet.

Prodromorum, quae saepissime observantur, signa

---

(1) J. Mueller physiol. T. I. p. 194, 5. T. III. p. 735, 742, 743.

praecipua haec fere sunt: sensus quidam proprius per dorsum currens, dolor lumborum et dorsi, membrorum extensio, dedolatio artuum, horripilatio, praecordiorum anxietas et similia. Quae omnia symptomata, nisi quis opinionis suae amore praeoccupatus est, ad quamvis laesam nervorum provinciam referre poterit. Mox intrat primum accessionis febrilis stadium, scilicet horroris, cum his fere symptomatibus: exhorrescentia, frigus, rigor extremarum praesertim partium, vasorum omnium, manus et pedes perrepentium exilitas atque occultatio, cutis aiditas et corrugatio, pallor quidam teter lividusque faciei, tremula cordis palpitatio, difficilis respiratio, inquietudo corporis, jactatio, pulsus contractus, parvus et debilis, nausea, vomitio, alvi et perspirationis suppressio cum urina tenui, aquosa, sensusque ebullientis veluti sanguinis ad interiora. Longum est omnia haec singula symptomata ad leges physiologicas suas reducere et accurate examinare, quorum nervorum laesione et quomodo prodierint. Hoc tamen universum eorum complexum consideranti mihi liquere videtur, spasmi aliquem consimilem statum vel universalem vel partialem eos nervos comprehendisse, quibus organa circulationis, et vegetationis, quae in abdomine collocata sunt, parent. Utrique autem organorum generi illi nervi praesunt, qui gangliosi appellantur, et quidem ea provin-

cia, quae ex functionibus suis organica dicitur. Propter affectionem eorum nervorum, qui vasa comitantur, factum esse credo, ut Autenriethius verbis ludens Intermittentes epilepsias vasorum appellaverit.

Transeamus protinus ad tertium stadium febrile, quod criticum dicitur, quo urinis lateritiis vel sedimentosis, sudoribus universalibus, aequabiliter super totum corpus diffusis, copiosis, symptomata sensim solvuntur, usque dum libera apyrexia intret. Omnes autem corporis secretiones normales sub imperio systematis nervei gangliosi, ejusque provinciae organicae tenentur, neque illis exceptis, quas primo quoque aspectu ex architectura anatomica a nervis cerebro-spinalibus dependere opineris (1). Ita, ut exemplo utar, tertius et quartus nervus intercostalis, qui secretioni lactis praeesse videntur, tamen fibras gangliosas assumunt. Non possunt ergo alienatae secretiones ab aliis nervis regi, quam iisdem nervis gangliosis, qui normalibus praesunt.

Quae quum ita sint, pleraque, quae primum et ultimum regularis accessionis febrilis stadium constituunt, signa ad provinciam organicam nervorum gangliosorum referenda sunt; nonnulla tamen eorum sunt, in quibus

---

(1) J. Mueller, T. II. pag. 459.

sympathica nervorum cerebro-spinalium et centrorum ipsorum affectio verisimilis appareat. Ita dijudicare non ausim, utrum horror ipse et cutis illa dicta anserina (quae vel a nervorum laesione immediatim, vel ab horrore dependet), referri possint ad unicam plexus gangliosi laesionem, ejusque turbatam ad vasa vim nerveam, an potius ad alias nervorum provincias, maxime medullam spinalem, in sympathiam adductam significent(1). Pleraque symptomata háctenus enumerata, quibus primum et tertium accessionis febrilis stadium insigne est, eadem non raro accessionem hystericam et hypochondriacam constituunt. Denique inter regularem Intermittentis paroxysmum et horum morborum magnam similitudinem existere satis notum est. Sed de ipsorum horum morborum natura et indole minime omnes consentiunt; maxime hic quoque de paroxysmo ipso certátur, utrum sola plexus gangliosi, an apparatus nervorum cerebro-spinalium et sensitivi affectione perficiatur. Utut res est, semper plexum gangliosum afficiatur necesse esse constat, si paroxysmus ipse febrilis in lucem prodeat; sed de prioritate affectionis lis esse potest, utrum a medulla spinali irritatio proficiscatur, an ad

(1) J. Müller T. IV. C. I. p. 27—28.

illam prorepat, an simul materia febrili utraque provincia nervosa (et medulla spinal. et plex. gangl.) irritentur. (1)

Restat, ut de stadio caloris pauca afferamus, cujus principalia symptomata haec fere sunt: horrore sensim diminuto calor intrat; primo fugax, partialis et cum horrore de regno certans, mox solus dominium occupat; pulsus elevatur, fit plenior, durior, semper frequens; cutis turgescit, rubescit, calescit; lingua sicca; sitis vehemens; respiratio non amplius tam anxia, liberior, lentior, profundior, auhelitum calidum reddit; cephalea, vertigo, (stupor), rarius deliria superveniunt; sensuum aucta alacritas, saepe photopsiae, susurrus aurium, denique status congestionis ad cerebrum manifestus; urinae parcae, flammeae etc. Universus hic status illi videtur horroris fere contrarius esse, ita ut pro spastica quadam contractione aucta et vigentior nervorum vis intraverit, maxime eorum quibus cor et vasa omnia parent. Itaque et hic affectio plexus gangliosi et sympathia medullae spinalis et nerv. Cerebro-spinal. accipienda, sed videtur initium hujus reactionis proficisci a medulla spinali, et ita quidem, ut apparatus gangliosi vis nervea horrore fere consumpta a medulla spinali quasi reficiatur. (2) Et haec videtur esse

(1) Eisenmann, Typoses p. 78 not. 2.

(2) J. Mueller T. III, C. III p. 760.

causa, quapropter, quo magis febris intermittentis natura a norma discedat, primum et ultimum stadium eo minus manifesta appareant, contra vero secundi stadii signa eo vehementiora evadant.

Pauca etiam facta afferamus, quae ad nostram sententiam confirmandam apta videntur. Jam veteribus cognitum erat, quanta vis salutaris nonnullis Intermittentibus maxime regularibus insit, ad alias affectiones morbidas fugandas, praecipue eas, quae in primis viis sedem suam habeant. Ita febrium intermittentium ad epilepsiam, choream St. Viti, ad hypochondriam et hysteriam, ad obstructiones viscerum etc. vis depuratoria quaedam procul dubio existit. Absit a nobis in subtilibus disquisitionibus operam perdere, quo modo tale quid fiat; id tamen liquere videtur arctum quoddam vinculum inter processum intermittentem et affectiones plexus gangliosi existere.—Hactenus solam fere partem reactivam et febrilem consideravimus et quo modo in illa affectio quaedam apparatus gangliosi essentialis videatur; sed alteram etiam partem processus intermittens ostendit, quam plasticam dicere possumus. Si verum est, quod posuimus, provinciam organicam systematis gangliosi turbatam esse, per se liquet, vegetativa in fabrica humana sphaera et ipsa alienetur necesse esse. Et re vera ita est. Quibus nam autem signis hoc cognosci-

tur? Primum omnis vegetationis fons ille universalis, sanguis in dyscrasiam degenerat; deinde focus quasi vegetationis, qui tubus intestinalis est, constanter a norma alienatur; denique anomalae vegetationis producta in localibus aliquibus affectionibus mox apparent (stases).

1) Cacochymiam sanguinis et dyscrasiam in Intermittentibus adesse docet eorum, qui diutius illis laborarunt, facies livida, pallida, terra, cachectica, deinde illa ad transsudationes quasvis proclivio; idem demonstratur experimentis ipsis. Jam S. G. Vogel docuit, in febribus intermittentibus sanguinem e vena missum non semper aequalem esse; saepe colore purpureo; serum sanguinis esse modo russeum, modo multicolor, flaviusculum vel subviride, copiosum; nonnunquam crassamento inhaerere neque ab eo disjungi, tum saepe gelatinae instar se ostendere, modo cum, modo sine crusta. Accuratius sanguinem ipsum chemice explorarunt Andral, Clanny, Browne, Langrish, qui totam tabulam omnium singularum mutationum proposuit, cujus haec fere summa est: in Intermittentibus sanguis est viscidus, glutinosus; globuli copiosi et praevalentes; fibrina diminuta, serum sanguinis contra copia adauctum; cruor ipse chemica mistione alienatus.

2) Turbae in systemate chylopoëtico nunquam fere

desunt; praecedunt, comitantur, succedunt ut singulas accessiones febriles, ita totum morbum, id quod notius est, quam quod pluribus explicandum videatur.

3) Stases. Omnes nervi, ex propria indole a natura sibi insita, cum propria quadam energia externis causis in actum deducuntur; ut nervus opticus quavis ratione incitatus visiones percipit, olfactorius odores etc., ita nervi organici plexus gangliosi quavis ratione vitiati vegetationem turbant, et materias vitiosas, abnormes fabricantur. Hae materiae morbidae versus unum vel alterum corporis organon turgescunt, vel illud incitant usque ad veram inflammationem (sententia illa Gallica, quae in hoc momento naturam morbi quaerit), vel universalibus crisibus eliminantur. Vergunt autem illae materiae vitiosae versus diversa organa ex certis quibusdam legibus, quae praecipue genio annuo et epidemico constituuntur. Singularis quaedam earum ratio ad lienem et hepar existere videtur, quippe quae organa saepissime, id quod sectionibus cadaverum confirmarunt Lancisi, Cleghorn, Portal, Alibert, Piorry, Thom. a Thuessink, et alii, topicarum affectionum in Intermittentibus sedes sint. Haec autem topica affectio in Intermittentibus non ut in phlogosibus fixa est, sed variabilis, et pro natura teli et organi quae

focum efficiunt, varie se manifestat (1). Quamquam igitur omnia haec ad laesionem ejus provinciae plexus gangliosi, quae vegetationi praeest, referenda sunt, tamen ne obliviscamur, in talibus disquisitionibus causam ab effectu difficilem esse dijudicatu, quippe quae vicissim ita in se influant, ut quid primarium sit, et quid secundarium dignosci nequeat. Natura enim saepe uno quodam ictu perficit, id quod nos nisi deinceps cognoscere non possumus. Ita non ignoramus totam illam theoriam posse ita converti, ut, miasmatibus per respirationem et transpirationem in vasa capillaria receptis, affectio nervorum organicorum per has materias morbidas tandem fiat. Nec sane de prioritate tantum cavemus, modo illud concedatur, in processu intermittente semper affectionem aliquam provinciae organicae nervis gangliosis inhaerentis adesse ut necessariam. Quod si haec nervorum organicorum affectio ac turbata inde fabricae humanae actio vegetativa illud elementum videtur esse, quod febrium intermittentium naturam et indolem constituit: nunc demonstrandum nobis est, num idem illud toti Intermittentium generi commune sit, quo veluti uno quodam vinculo contineantur; porro, qui fiat, ut hoc commune elementum in variis Intermittentium speciebus

(1) Eisenmann p. 73 etc. p. 77.

et varietatibus ita mutetur, ut pedetentim in aliorum morborum indolem transeat.

De illis igitur formis nunc paucis disseramus, quas a norma discedentes uno nomine anomalas dicimus. Quum non cogitemus neque nostrum sit distributionem nosologicam proponere, quae sat multis difficultatibus impedita est: tamen id notetur, duas potissimum febrium anomalarum classes ex phaenomenis, periculo, statu ad alios morbos posse distingui, quarum prior eas febres intermittentes continet, quae aliquam abnormitatem praebent, ita tamen, ut processus intermittens semper perluceat ac praevaleat; altera, quae perfectioris et specifici alicujus morbi particeps facta hujus gratia speciem et naturam suam tantum non dissimulat. Prior classis omnes eas formas continet, quae sub certis constitutionibus epidemicis vel endemicis denique cum aliqua aliunde arrepta complicationis nota apparent; altera eas complectitur, quas veteres malignas vel perniciosas vel pestilentiales vel ex propria complicati morbi natura proprio nomine appellarunt (typhus interm., pestis interm.; febris intermittens cholerica, dysenterica etc.) Vix est, quod dicam, ut a topicis ad febriles, ita a regularibus ad anomalas, et ab anomalis inferioris ordinis ad pestilentiales saepe pedetentim trans-

itum fieri, neque differentiam esse in natura tam certis finibus circumscriptam, quales nos constituimus.

In febribus intermittentibus regularibus, totius decursus et singulorum elementorum concentus quidam inter se insignis; in anomalis contra, omni abjurato typo et regula, ab omni parte periculum imminet, ne singulum elementum, neglectis aliis, principatum occupet, neu omnino in alius morbi dominium intret. Quam vario autem modo anomalia in singulis anomalarum speciebus ac varietatibus appareat, hoc maxime a natura illius alieni morbi pendet; neque enim solum in febre, sed multo magis in topicis affectionibus mutatio fit, ita ut veteres in Intermittentibus regularibus nullas omnino topicas affectiones adesse crederent, quippe quae durante febre hac tegantur et obscurentur, et cum ea dispareant ac discedant; sed tum demum illas agnoscerent, quum, id quod contra normam fit, vel in accessione febrili vehementia sua satis perspicuae essent, vel ultra paroxysmum febrilem adhuc durarent. Anomaliae in decursu febris hae fere sunt: prodromorum signa aut ultra modum vehementia, ac jam complicantis et futuri morbi antesignana, aut mitiora, aut nulla; frigus et duratione temporis et intentione aut modum longe excedens (febris algida), aut perexiguum, aut nullum; stadium caloris similiter, aut, ut fit in illis ex genere urentium et causi,

prae ceteris praevalens, aut justo levius aut omnino nullum (febris algida); denique postremum stadium criticum aut sudoribus et urinis colliquativis excellens (febris sudorifica), aut partialibus et parcis, aut nullis, aut vitiosis sive chemica sive physica natura (acidis, kalinis, foetidis, sanguinolentis, viscidis, frigidis etc.). Sensorium commune varie affectum. Tamen in omni irregularitate aliqua ad circuitum et typum propensio diligentius animum ad id attendenti medico, initio quidem morbi, nunquam fere non cognoscetur, exceptis paucis illis formis, quae inde ab initio ad perniciositatem vergentes etiam hac re, quod a medicis non facile dignoscuntur, saepe fatales fiunt. Haec autem in decursu febrili singulorum signorum a norma discessio nihilo minus tamen ex certa quadam norma regitur, ita ut certae anomaliae certis speciebus propriae sint.

Multo magis etiam hoc cernitur in illa parte vegetativa; ita sanguinis mistio pro varietate anomaliae varie mutata; ita gastricae affectiones variae; denique stases et topicae affectiones in infinitum variantes pro constitutione epidemica, endemica, annua, individuali etc., ita ut in hac epidemia caput, in illa pectus, in tertia abdomen focus sit.

Deinde locales affectiones ad universalem reactionem

variam quoque rationem habent, ita aut cum illis disparent quod, in anomalis raro fit, aut diutius remanent, ita tamen, ut ante proxime intrantem paroxysmum dispareant (febr. remitt.), aut usque ad futurum paroxysmum pari vehementia aegrotum vexant, neque illo nisi vehementia augentur (contin.-remitt.) Sufficiat has anomalias omnino in universum adumbrasse, neque interiora rei inquiramus, quippe qui Intermittentium nosologiam scribere minime cogitemus.

Sed nunc demonstrare conaturi sumus, quo modo hae quoque anomalae formae cum regularibus et communi quodam vinculo conjunctae sint, et quo modo ab illis natura et indole differant, adeo ut saepe ad alia febrium potius, quam ad Intermittentium genera vergant.

His omnibus varietatibus anomalis invenimus illam propensionem certe ad intermittentiam communem, cui totum genus nomen debet; deinde fugere nos non potuit illas turbas in provincia fabricae humani corporis vegetativa, ut in regularibus Intermittentibus ita hic quoque ad propriam naturam morbi pertinere. Sed differt genus anomalarum a regularibus Intermittentibus hac re, quod regularium indifferentia quaedam atque aequilibrium in anomalis cum certis quibusdam formis varias affinitatis rationes ineundi propensioni cedit. Id quod in omnibus

elementis, quae febrem intermittentem constituunt, pariter cognoscitur; febris tendit ad remittentiam vel continuitatem, singula stadiorum symptomata de genio alieni morbi plus minus adsciscunt; sanguinis cacochymia huic morbo partim respondet (in putrida complicatione dissolvitur, in biliosa pigmentum felleum suscipit etc.), gastricae affectiones non minus ad mores alius se accommodant (in putrida complicatione facile dysenteria putrida supervenit, in biliosa status biliosus etc.), denique stases, quae topicas affectiones efficiunt, illuc potissimum tendunt, ubi alienus morbus sedem suam collocavit, et ubi locus minoris resistentiae quaerendus est. Si quae pars ante morbum laboraverit, ibi novus morbus se figit. (Hippocr.)

Ergo praeter illam affectam organicam nervorum gangliosorum provinciam et laesam inde fabricae humanae actionem vegetativam aliud insuper aliquid adest, quod varietatem efficit. Illud aliud autem diversissima sane natura esse potest, vel constitutione epidemica vel endemica, vel annua, vel individuali, vel specifico miasmate et contagio etc. profectum.

Jam vero, si jam supra in Intermittentibus regularibus dubium relinquendum nobis erat, utrum affectio illa nervorum gangliosorum sit protopathica et immediatim per miasmata incitata, an deuteropathica per sanguinem effecta;

an denique id quod equidem lubenti animo mihi persuadeo, ὁμοιοπαθής, quippe nervorum actio ab εὐκρασίᾳ sanguinis non minus, quam haec a normali illorum temperie pendeat; quanto magis vero illud dilemma in anomalis nobis occurrere debet, in quibus composita et varia elementa apparent.

Difficile enim est cursum naturae sequi, quem in mutanda humani corporis fabrica init. Ita in pathologicis de rerum natura disquisitionibus dijudicationes existunt, quas natura tamen minime sistit.

Namque una quadam serie natura continuum ordinem observat a minus perfecto ad perfectissimum quodque; ita aucta ad majorem perfectionem Intermittentium natura, plura semper in cyclum morbosae affectionis systemata ac provinciae corporis humani implicantur. Tandem difficile fit, quod commune omnibus subsit, vinculum reperire.

V I T A.

Natus sum ego Ludovicus Roehmann, fidei veteri addictus, Marchico-Friedlandae, Borussiae occidentalis oppido, anno h. s. XIX, patre Salomone, quem ante hos duodecim annos dira mihi morte ereptum lugeo, matre Bona e gente Maass, quam Deus optimus maximus diu mihi conservet. Litterarum elementis in schola patriae urbis publica, t. t. sub Rectorem Dessau florente, instructus anno aetatis quarto decimo Berolinum me in gymnasium regium Joachimicum, quod adhuc sub Ill. Meineke auspiciis floret, me contuli. Quod quum per quinquiennium frequentassem, a. MDCCCXVIII testimonium maturitatis nactus Cel. almam academiam Fridericam Guilelmam adii et ab Ill. Boeckh, t. t. rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, ab Ill. Wagner, maxime spectabili t. t. medicorum ordinis Decano, medicinae studiosis adscriptus sum.

Per quadriennium vero hisce scholis interfui:

Ill. Hecker medicinae encyclopaediam et methodologiam; Ill. Mueller anatomiam universam corporis humani, comparatam, physiologiam; idem cum Ill. Schlemm rite dissecandorum cadaverum artem me docuit; Ill. Mit-

scherlich chemiam experimentalem; Cel. Magnus physicen; Ill. Kunth botanicen et demonstrationes botanicas; Ill. Schultz zoologiam et mineralogiam; Ill. Gabler logicen et metaphysicen; Exp. Isensee anthropologiae et psychologiae elementa. Instituerunt me Ill. Casper pathologia et therapia speciali; Ill. Horn cognitione et cura morborum mentis; Beat. Gans historia aetatis recentioris; Exp. Henle pathologia universali; Exp. Mitscherlich materia medica; Cel. Troschel chirurgia et generali et speciali; Cel. Romberg diagnostice et morbis nervorum; Ill. Busch arte obstetricia theoretica et practica. Praxeos medicae, chirurgicae, ophthalmiatricae, obstetriciae praeceptores mihi erant: Cel. Wolff, Cel. Barez, Ill. Schoenlein, Cel. Truestedt, Cel. Romberg, Ill. Juengken, Ill. Busch.

Quibus omnibus Viris Amplissimis, Clarissimis, Illustrissimis optime de me meritis gratias quam maximas ago.

THESES.

---

1. Non morbi sed aegri sanandi sunt.
2. Medicus practicus philosophus sit non oportet.
3. Magna differentia intercedit inter bonum pathologum et therapeuten.
4. Nullus morbus per se contagiosus habendus est; omnes vero epidemici data apta occasione contagium progignere possunt.
5. Nullus morbus popularis per se novus habendus est, sed ex praeformatis jam pridem elementis novus apparet.
6. In morbis quamvis contagiosis sanandis primum semper respiciendum est elementum miasmaticum.